



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

18. Bonziorum seditioне Xauerium vexat Rex Saxumæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

tetro ac deformi carcinotmate corripi ; intus exedi , & foris ; pus, vermes, fætorem intolerabilem ebullire.

18

Bonziorum
seditione
Xauerium
vexat Rex
Saxumæ.

18 Quod sanè Bonzios terroris ostentum , reducere in viam debuit, sed multitudine audaces , nullo sibi priuatim , ex coniuratione omnium m. tuente ; noua res acrius inflammauit. Matrona illustris post suscep- ptam fidem, cùm multa familia solemní ritu initiata estsacro baptisme. Conspicati Bonzij tot suas è pulpitís minas vanescere, quibus ab audiendō Xauerio populum extrebat, tot diu nocteque insultus in socios, & eorum domum frustra esse ad eos Cangoxima abigendos , nouam machinam fabricant; expostulare de Rege apud Regem decernunt om- nium Deorum nomine. Delectu inter se habito , qui auctoritate & op- nione scientiæ eminebant ad illum adeunt, minaces magis quam sup- plices ; aiunt se Amidæ & Xachæ nomine chorique totius Deorum Ia- ponensium adesse. Miti se ab iis ex eo rogatuos, quam se orbis in par- tem iuberet exulare? nouas sedes, & templo querere? quando ipsi tanta sua cum ignominia ex ipsius regno , seu verius suo pellerentur, vt darent idolo peregrino locum , quod arrogati sibi cultus confortem admittie- ret neminem : quis esset tandem rex ? homo de populo, & profanus, qui se religionis arbitrum , Deorum iudicem diceret, exterminaré que pro- prios vt sedem præberet alienis ? tam cæcas videlicet Academias omnes Iaponum exitisse : errasse tot seculis deceptos populos , vt iis aliorum superueniret auctor Deorum , & cultuum ? quid essent dicturi posteri cum Regem Saxumæ legerent pro accepto à Xacha & Amida regno hanc iis gratiam retulisse vt eos templis , honore, cultuque priuaret qui- bus inter Iapones; possessione legitima ab ævo fruebantur ? passura- nè hanc impietatem affines prouincias : quin & ipsius imperio subie- ctos tranquillè nimirum taciteque laturos , nec moturos in eum 'arma ad restituendos regno Deos , & exturbanendum qui eos expellebat ? Sunt qui scribant Regem ista Bonziorum tam acris offendit obiurgatione, superbè pariter, minaciterque respondisse: sed longè aliud ex Xauerio habetur , scribit statim querelis superatum , suadetque id ratio quæ fa- cultatem ex eo expresserat promulgandi Cangoximæ Euangelij; grati- ficatus enim Xauerio non salutis causa , sed augendorum spe censum, vbi sensit ex ea damnorum quam lucri sibi multo plus imminere, re- bellionem , & sceptri iacturam veritus sua indulxit Bonziis postulata, abstinuitque deinceps ab Xauerij tutela , & fidei cursum inhibuit, haud ramen id egit edicti prioris præcipiti abrogatione , vel ne periculo in posterum documento suorum minis territus videretur , vel quod onera- rias Lusitanas è Sinis Cangoximam puraret proximè appulsuras. Verum vt cognovit Firandum tendere cuius pridem cum rege lethales inimici- tias, tunc bellum etiam gerebat ; primum apud Xauerium grauiter que- stus est male de se mereri Lusitanos , & suam ab iis bencvolentiam pes- simè rependi, vt qui velut offensæ studio in portum sui hostis maluissent, quām in regnum suum succedere , vbi acceptissimi erant , & omnibus cari

cari. Deinde Cangoximæ pœna capitis edixit, ne quis legem auitam Iaponiæ, noua lege mutaret, ab Europæis Bonziis allata. Hinc omnes Apostoli conatus, & sudati haecen labores ad subigendum fidei id solum, prope subito conciderunt, illa ordinum omnium ardens frequentia, ad concionantem in compitis, & ad disputantem cum Bonziis audiendum, metu ac minis fracta longè diffisiit, solus cum sociis, angustia in casa desertus mansit.

19 At è contrario quorum iam Deus corda tetigerat, & corroborerat baptismi vis potens; vnde alij abiici, inde ipsi assurgere & quanto pauciores, (nam pauci supra centum erant) tantò electionis suæ gratiam singularem rueri audentiū; sistere se Xauerio fortiter, accinctos ad exilia, & mortem pro defensione fidei quam erant professi. Hos vero ipse, ut consueverat, maiorem in noua fundanda Christianitate virtutis ducere, quā multitudinis rationem; virgere semper ad ulteriora; vsu Christianorum operum exercere; statis quotidie horis apud se cogere, recenti aliquo de religione ac moribus documento fakturus doctiores. Qua etiam ex causa, selectas è saecis literis paginas, illorum temporibus aptiores, suas item quasdam scriptiones pias, Iaponicè vertit, ac nominatum de vita Redemptoris historiam integrum, de qua confessibus singulis unum, aut alterum mysterium explicans, ea commotione interioris hominis, & diuini amoris excipiebat ab sancto fortique auditore, ut plausum loco, lacrimas ederet, tam altis demum, & firmis radicibus, prima hæc Christi germina hædere, ut manu cultoris multos per annos carentia, retinuerint constanter vigorem à sancto patre olim sibi ingenitum, creuerintque perinde accessionibus virtutum, ut si eius præsentis magisterio colerentur. Ac poterat quidem, pusillo gregi Paulus à sancta fide, multum gratia, qua valebat, & incitamento imitandi prodesse & mandarat vir sanctus, curas ab eo in illum intendi. Sed is sexto vix mense extinctus est, ac Deo placuit, virtuti eius eximiae debita præmia diutius non differre: magno desiderio, & fletu prosecuti sunt Xauerium abeuntem, sui neophyti summisque magistro optimo, & profecto instas egerat gratias, quod tantis suis periculis, & ærumnis, altero ex orbe, solem sibi vera salutis intulisset, alioqui omnino perituri, iamque in exitium æternum ruerentibus.

20 Ineunte Septembri, duobus cum sociis, Cangoxima exiit, anno 1550. & quod exhaustis laboribus malignè is ager responderat, Echandoni benignitas diuina fuit hos illi sudores reponere, præter omnem fortassis expectationem. Eius nomen, & gesta latè circum effusa in arcem peruererant octauo decimo milliari Cangoxima sciam; imminebat arx gesta, via quæ Firandumitur, quo & ipse rendebat; principi suberat, regis Sauxumæ clienti: sed quamquam externus, sed tamen notissimus aduenit, inib⁹ ab indigenis quibusdam humanissima vi in eam inducitur. Est hæc rupes ad stuporem opus, si quod aliud usquam orbetoto usendum, & iure censendum in mundi miraculis. Quicquid locis potest ad defensio-

Cangoximæ
primorum
Christi for-
titudo.